

rectangula, acutangula ac obtusangula dividuntur.

XXXI. Si in duobus triangulis 1) omnia tria latera *, 2) duo latera cum angulo intercepto **, 3) unum latus cum duobus angulis adiacentibus *** *aequalia*, aut saltem *proportionalia* invicem fuerint; ipsa quoque duo triangula in prima hypothesei *æqualia*, in posteriori *similia* erunt.

* *Probl.* 1) Ex dato puncto rectæ erigere perpendicularum. 2) Describere angulum æqualem dato, eumque 3) bifsecare.

** *Probl.* 1) Ex dato puncto demittere perpendicularum. 2) Distantiam duorum locorum, ad quorum utrumque ex tertio quodam liber accessus patet, determinare.

*** *Probl.* 1) Invenire distantiam duorum locorum, sive ad unum solummodo, sive ad neutrum ex loco tertio datur accessus. 2) Metiri altitudinem turris tam accessibilem quam inaccessam.

LINEÆ PARALLELÆ.

XXXII. Linea normalis ad unam ex duabus parallelis, etiam ad alteram normalis erit. Pone autem, duas rectas parallelas transversim secari a recta tertia; oriuntur 1) duo anguli *alterni* inter se *æquales*; 2) angulus *exter-*